

recusaverit, imperator¹ precipiet universis qui ex parte sua sunt, sub debito fidelitatis et gratie sue ut nullum prestant ei² auxilium et volentibus eum offendere in nullo obstant vel contradicant, et si quis offenderit³, non teneatur inde. Mandatum autem istud non revocabit dominus imperator, donec treuqua durabit. Et dominus Hericus⁴ rex filius eius⁵ predicta firmabit, sicut scripto dispositum est. Dominus etiam imperator predictam pacem ecclesie et illustris regis Scicilie⁶ usque ad XV annos et treuquam Lombardorum corroborabit scripto suo cum subscriptione sua et principum.

28) Si vero⁷, quod absit, dominus papa premoriatur, dominus imperator et dominus Hericus⁴ rex filius eius et principes hanc formam pacis et compositionis firmiter observabunt successoribus suis et universis cardinalibus⁸ et toti Romane ecclesie⁹ et illustri regi Sicilie et Lombardis¹⁰ et ceteris qui secum sentiunt. Similiter, quod absit, si dominus imperator premoriatur, dominus papa¹¹ et cardinales et ecclesia Romana iam dictam pacem firmiter observabunt successori suo et¹² B. felici uxori¹³ eius et Herico¹⁴ regi filio eius et omnibus de Theotonico regno et ceteris adiutoribus suis, sicut prescriptum est. Et successores domini pape similiter observabunt.

- + Wicmannus Madiburgensis archiepiscopus subscripsi.
- + Philippus Coloniensis archiepiscopus subscripsi.
- + Ego Cristianus Maguntinus archiepiscopus subscripsi.
- + Ego Arnulodus Treuerensis archiepiscopus subscripsi.
- + Ego Arduinus imperialis prothonotarius subscripsi¹⁵.

1) dominus imperator *B.* 2) ei prestant *B.* 3) eum offenderit *B.*
 4) Hainricus *B.* 5) eorum *B.* 6) *A.* 7) forte *B = VU.* 8) cardinalibus universis *B = VU.* 9) ecclesie Romane *B = VU.* 10) Longobardis *B.* 11) papa et successor eius *B.* 12) successori suo et *fehlt in B = VU.* 13) felici imperatrici uxori *B.* 14) Hainrico *B.* 15) Et successores — subscripsi *fehlt in B.*